



## Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Bernardi Primi Clarævallensis Abbatis, Ordinis  
Cisterciensium Antesignani, melliflui Ecclesiæ Doctoris  
Sermones In Dominicas & Festa per annum**

**Bernardus <Claraevallensis>**

Ser. I. De Angelorum erga nos officiis & nostra erga ipsos reverentia.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39254**

familiarissimo colloquio cum plena cordis l<sup>e</sup>titia perfrueris. Loquere Domina, quia audit Filius tuus: & quæcunque petieris impetrabis. Invoca bonum nomen eius super nos, ut curemur à vetusta hac lepra carnis & spiritus. Exurge † virus hoc mortiferum exinanitura\*, quod de po- <sup>† al. exsuge.</sup>  
mi sui reliquiis Eva nobis propinavit: quando succi noxialis gustu ebria- <sup>\* in M. S. o-</sup>  
ta est; & reliquias dimisit parvulis suis. Utinam poculum suum ebria illa <sup>mittitur.</sup>  
totum ebibisset, non item in nos diffudisset †. Te igitur Domina exoran- <sup>† M. S. ita</sup>  
te, omne jugum nostrum computrescat à facie olei divinæ misericordiæ: <sup>leg.</sup>  
renovetur, ut aquilæ, juventus nostra, ut novi nova voce novum canti- <sup>aut totū e-</sup>  
cum novis civibus aggregati illic, ubi nova sunt omnia hæc jubilum, sem- <sup>bibisset, aut</sup>  
piternum celebrantes in cymbalis jubilationis concinamus. Tollatur <sup>totum effu-</sup>  
hæc crassa nebula ab oculis nostris, ut revelata facie gloriam Domini spe- <sup>disset.</sup>  
culantes in immensum illud pelagus divini luminis absorbeamur à Domi-  
ni spiritu; ac DEO nostro in vinculis charitatis astricti unum cum ipso  
efficiamur †: Praestet hoc nobis tuo interventu, ô Maria, Filius tuus Je- <sup>† al. unus</sup>  
sus Christus Deus & Dominus noster, cui laus & gloria, & gratiarum actio <sup>cum ipso</sup>  
spiritus. <sup>spiritus.</sup>  
in sempiterna sæcula, AMEN.

## IN FESTO S. MICHAELIS.

De Angelorum erga nos officiis, & nostra erga ipsos reverentia.

## S E R M O I.

**A**Ngelorum hodie memoria celebratur, & exigitis debitum pro tota solemnitate sermonem. Sed quid de Angelicis spiritibus viles loquantur vermiculi? Credimus sanè, & indubitate fide tenemus divina eos præsentia & visione beatos sine fine l<sup>e</sup>tari in bonis Domini, quæ oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt. Quid ergo de his homo loquatur hominibus, quæ nec ipse quidem cogitare, nec illi saltem audire sufficient? Profectò si ex abundantia cordis os loquitur, fileat nihilominus lingua necesse est ex inopia cogitationis. Atta- <sup>Angelorum</sup>  
men si multum est ad nos loqui de ea claritate & gloria qua in semetipsis, <sup>eminentia seu</sup>  
imò in DEO suo Angeli sancti nostris omnino supereminent cordibus: <sup>dignitas.</sup>  
de ea loquamur quam nobis exhibent gratia & charitate. In supernis e- <sup>Eorundem er-</sup>  
nim spiritibus non solum admirabilis dignitas, sed dignatio amabilis in- <sup>ga nos digna-</sup>  
venitur. Dignum est proinde, fratres, ut gloriam non capientes, tanto magis amplectamur misericordiam, qua nimur constat nihilominus a- <sup>tio & chari-</sup>  
bundare domesticos Dei, cœli cives, principes paradisi. Testatur deni- <sup>tas.</sup>  
que Apostolus ipse, qui raptus usque ad tertium cœlum, beatæ illi curiæ meruit interesse, atq; eius nosse secreta<sup>a</sup>; quoniam omnes administratorii <sup>a Heb. i. d\*</sup>  
<sup>int spiritus, missi in ministerium propter eos qui hereditatem capiunt salutis.</sup>

CCC 2

Neque

## 390 Sancti Patris Bernardi

*b Matt. 10. d*

*c Dan. 7. c*

*d Psal. 8. a  
Christus &  
Angeli mi-  
nistrale veni-  
unt, quo dis-  
crimine.*

*e Cant. 2. c*

*f Apoc. 8. a*

*Angeli a-  
mant nos quia  
nos Christus  
amavit.*

*Rationes ob-  
quas Angeli  
pro hominibus  
soliciti.*

Neque id cuiquam incredibile videatur, quandoquidem ipse quoque Creator & rex Angelorum venit non ministrari, sed ministrare, & animam suam dare pro multis<sup>b</sup>. Ut quid ergo ministerium illud Angelorum quispiam dedignetur, in quo præcedit eos, cui in excelsis tota cum aviditate & fœlicitate ministrant? Si & hinc dubitas, utique qui vidit, testimonium perhibuit: *millia, inquiens<sup>c</sup>, millium ministrabant ei, & de- cies centena millia assisterebant ei.* Alius quoque Propheta ad Patrem de Filiō loquens, ait<sup>d</sup>: *Minuisti eum paulominus ab Angelis.* Sic planè sic decet ut vincat & humilitate, qui sublimitate vincebat, sitque tantò minor Angelis, quanto inferiori fere ministerio mancipavit: qui tantò excellētior est, quanto differentius præ eis nomen hæreditavit. Sed quæres fortasse in quo minoratus videatur ab Angelis, cum ministrare venit, quandoquidem (ut iupra meminimus) in ministerium mittuntur & illi? In eo utique quòd non modò ministravit, sed ministratus est, eratque unus & idem qui ministrabat, & qui ministrabatur. Meritò proinde sponsa in Canticis Canticorum: *Ecce (inquit<sup>e</sup>) venit is saliens in montibus, transiliens colles.* Ministrans enim saliit inter Angelos, sed & ipsos transiliit ministratus. Ministrant enim Angeli, sed de alieno, offerentes DEO bona opera non sua, sed nostra, ac nobis eius gratiam referentes. Unde & scriptura dicens<sup>f</sup>: *Quoniam ascendit fumus aromatum in conspectu Domini de manu Angeli, solicite præmisit data ei fuisse incensa multa.* Nostros enim sudores non suos, nostras non suas lachrymas offerunt Deo: nobis quoque eius munera referunt, & non sua.

Non sic minister ille sublimior cunctis, sed humilior universis, qui semetipsum obtulit sacrificium laudis, qui patri offerens animam suam, nobis ministrat usque hodie carnem suam. Huius utique tanti ministri gratia nihil mirum si dignanter nobis imò & libenter Angeli sancti ministrant. Ipsi enim amant nos, quia nos Christus amavit. Dicitur certè vulgari quodam proverbio: Qui me amat, amat & carnem meum. Nos verò o beati Angeli, catelli sumus Domini illius quem tanto affectu diligitis, catelli, inquam, cupientes saturari de micis quæ cadunt de mensa dominorum nostrorum, qui estis vos. Et hæc dixerim, Fratres, ut ampliorem de cætero ergo beatos Angelos fiduciam habeatis, ac proinde familiarius in omni necessitate vestra eorum invocetis auxilia: sed & dignius in eorum præsentia conversari, & magis ac magis eorum vobis conciliare gratiam, captare benevolentiam, exorare clementiam studeatis. Cuius rei gratia necessarium duco alias quoq; charitati vestræ exponere causas, quæ ipsos beatos Angelos pro nostra infirmitate reddant sollicitos: absq; sua sane anxietate, sed non absq; utilitate nostra, nec ad detrimentum fœlicitatis suæ, sed ad nostræ salutis augmentum.

Constat

Constat sine dubio rationis participes, & capaces beatitudinis humanas animas Angelicæ (si dicere id audeamus) cognatas esse naturæ: nec decet vos, ô Beati Spiritus, contra legis præceptum dēsignari, quam visitare debetis speciem vestram, licet in multam (ut ipsi cernitis) dejecta sit utilitatem. Sed neque arbitramur vos superni cives, civitatis vestræ excidio delectari, & ruina murorum quos semirutos ipsi videtis. Cuius instauracionem si desideratis (ut dignum est) frequenter quæsto ante thronum gloriæ verbum precis iterate dicentes & : *Benigne fac Domine in 3 Psal. 50. d bona voluntate tua Sion, ut adificantur muri Hierusalem.* Si diligitis decorum domus Dei (imò quia diligitis) experiantur zelum vestrum vivi & rationales lapides, qui soli in instauracionem eius vobis possunt coædificari. Hic est, dilectissimi, funiculus triplex, quo de excelso cœlorum habitaculo ad consolandos, ad visitandos, ad adiuvandos nos attrahitur supereminentis charitas Angelorum, propter Deum, propter nos, propter seipsoſ. *Angeli in nostrum auxiliū seduli: propter Deū, propter nos, & propter seipſos,*

*Propter Deum utique, cuius tanta erga nos misericordiæ viscera ipsi quoque (ut dignum est) imitantur. Propter nos, in quibus nimirum propriam similitudinem miserantur. Propter seipſos, quorum ordines instaurandos ex nobis toto desiderio præstolantur. In ore enim parvolorum qui lacte modo vescuntur, & nondum solidō cibo, perficienda est laus illa maiestatis divinæ, cuius habentes primitias Angelici spiritus beata nimirum delegatione fruuntur: sed tantò avidius nos expectant, quantò consummationis eius expectatione & expetitione solicitantur.*

Quæ cum tamen ita sint, pensate, quanta etiam nobis solicitudine opus est, dilectissimi, ut dignos nos exhibeamus eorum frequentia, & eo modo conversemur in conspectu Angelorum, ne forte sanctos offendamus obtutus. Væ enim nobis, si quando provocati peccatis & negligentiis nostris, indignos nos judicaverint præsentia & visitatione sua, ut jam nescisse habeamus & nos plangere, & dicere cum Prophetā <sup>b</sup>: *Amici mei h Psal. 37. b & proximi mei adversum me appropinquaverunt & steterunt. Et qui juxta me erant, de longè steterunt, & vim faciebant qui quæabant animam meam.* Elongatis nimirum eis quorum præsentia protegere nos, & propulsare poterat inimicum. Quod si tam necessariam habemus familiaritatem dignationis Angelicæ, cavenda nobis eorum offensia, & in his maximè exercendum, quibus eos novimus oblectari. Sunt enim plurima quæ eis placent, & quæ in nobis invenire delectat; ut est sobrietas, castitas, paupertas voluntaria, crebri in cœlum gemitus, & orationes cum lachrymis, & cordis intentione. Attamen super omnia hæc unitatem & pacem à nobis exigunt Angeli pacis. Quidni maximè delectentur in his, quæ formam quandam civitatis suæ repræsentant in nobis, ut mirentur Hierusalem

Ccc 3 novam

*Vnitas & pax præcipue co-lenda, ut placeamus Angelis.*  
i Ps. 121. a novam in terra? Dico autem, ut quomodo civitatis illius participatio est in idipsum<sup>i</sup>: sic & nos idipsum sentiamus, idipsum dicamus omnes, & non sint in nobis schismata: sed magis omnes simul unum corpus simus in Christo, singuli autem alter alterius membra.

Econtra vero nihil æquè offendit, & ad indignationem provocat eos, quomodo dissensiones & scandala, si fortè inveniuntur in nobis. Au-

k 1. Cor. 3. a diamus siquidem, quid loquatur ad Corinthios Paulus<sup>k</sup>: Cum enim sit inter vos zelus & contentio, nonne carnales estis, & secundum hominem ambu-

ludis? In epistola quoque Judæ Apostoli legimus sic<sup>l</sup>: Hi sunt qui sege-

Anima mē- brasibi cohæ-rentia vivifi-cans Symbolū sibi. Separa ergo quidvis à juncta cæterorum, & vide an de cætero il-

lud vivificet. Sic est omnis qui dicit, anathema JESU<sup>m</sup>: quod nemo dicit loquens in spiritu Dei: quia anathema separatio est. Sic &, in-

quam, omnis qui ab unitate dividitur, ne dubites quin ab eo recesserit spi-ritus vitæ, Dignè igitur contentiosos, & qui separant semetiplos, Apo-

cordie. m, Cor. 12. a stoli carnales vocant & animales, spiritum non habentes. Dicunt ergo

Angeli amatores pacis de- serunt contentiosos & uni-tatis hostes. sancti illi, & beati Spiritus, ubi scandala invenerint & dissensiones: Quid nobis & generationi huic spiritum non habenti? Nam si adesset spiritus,

per eum utique charitas diffunderetur, & unitas non scinderetur. Et di-

cunt: Non permaneamus cum hominibus istis in æternum: quia caro sunt. Quæ enim conventio luci ad tenebras? Nos de regno unitatis &

pacis sumus, & homines istos in eandem unitatem & pacem sperabamus esse venturos. Nunc autem qua ratione nobis cohærent, qui dissident

à seipsis? Videlis quām congruat huic solennitati Evangelica lectio, quæ sic deterret nos à scandalo parvolorum, quandoquidem tam vehementer

n Matt. 18. a Angelis displicant scandala<sup>n</sup>? Qui scandalizaverit unum de pusillis istis, durum est quod sequitur. Sed jam præterit hora, ad missas nobis eun-

dem est. Peto ne sit vobis molesta dilatio, quæ poterit non inutilis fore, si capitulum præsens sermone altero diligenter prosequamur.

### IN FESTO S. MICHAELIS

#### S E R M O II.

*Qui scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt, &c.*

Matth. 18. a

**A**UDISTIS, Fratres, Evangelicam lectionem adversus eos qui pusillos scandalizant, satis terribiliter intonantem. Nemini blanditur Veritas, neminem palpat, nullum seducit, aperte denuncians, quoniam *Veritas* a Matt. 18. a *homini illi per quem scandalum venit*<sup>a</sup>. Bonum erat ei si natus non fuisset homo.